



474

1738, 8

11. X

DISSERTATIO PERIODICA
 AD
 LEGEM EVANGELICAM
 DE DIVORTIIS,

A
 JOH. WOLFGANGO TRIER,
 CONSIL. REG. AVL. ET CODICIS P.P.

ET
 JOHANNE PETRO WANNEY,
 POTSDAMENSI MARCHICO,

D. XXVII. SEPT. MDCCXXXVIII.

PUBLICAE DISQUISITIONI EXPONENDA:

FRANCOFVRTI AD VIADRYM,
 Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.



DISPUTATIO DE
LUCI EVANGELIUM
DE DIGNITATE
IOHANNIS BAPTISTAE
JOHANNIS DE WANNIK
EXPOSITIO
DE DIGNITATE
IOHANNIS BAPTISTAE





L



ihil est in tota jurisprudentia tam difficile ac fere inexplicabile, quam hæc duæ quæstiones juris divini tum naturalis tum scripti: quatenus inter cognatos propiores matrimonia sint prohibita, & quatenus inter conjuges prohibita sint divortia. Nam ratio humana causas pudoris naturalis, quo animus turbulentis motibus vacans

ab incestu ac divortio deterreri solet, non satis assequitur: leges autem sacri Codicis non ubique perspicue scriptæ sunt, & rationes eis insertæ multum arcani habent, magnamque dubitationem in animis legentium relinquunt. De legibus, quibus matrimonia propter consanguinitatem atque affinitatem interdicta sunt, alibi egi. *Dissert. ad L. Mosaicam de incestu, & Programm. de pudore naturali in contrahendis matrimoniis inspiciendo.* Nunc propositum est mihi nonnulla commentari ad legem Christi de divortiis. Divortium est dissolutio matrimonii, conjugibus viventibus, facta, qua efficitur, ut uterque vel certe alteruter ad aliud conjugium se conferre possit. Est etiam genus quoddam divortii, quod a BUCERO *Enarrat. in Evangel. Matthæic. 19.* Episcopale, vulgo separatio perpetua quoad torum & mensam vocatur, cum consuetudo vitæ inter conjuges, manente ceteroquin vinculo, in perpetuum tollitur. Sed de hoc quasi divortio, quod neque æquitati neque sacris litteris neque legibus civilibus consentaneum est, jam non agam.

A 2

II. Ait



Ait Mathæus in Evangelio: c. 19. v. 3. *segg.* *Accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum & dicentes ei: licetne homini dimittere uxorem suam quacunquē ex causā? Ille vero respondens dixit eis: an non legistis, Creatorem ab initio masculum & femellam creasse eos, & dixisse: propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod igitur Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt ei: quid ergo Moses jussit dari libellum repudiū & dimitti eam? Ait illis: pro duritie cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non erat sic. Dico autem vobis: qui dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam ducit, mœchatur. Dicunt ei discipuli ejus: si sic est conditio hominis cum uxore, non expedit inire connubia. Ille vero dixit eis: Non omnes capiunt hanc rem, sed hi, quibus id datum est. Sunt enim eunuchi, qui ex utero matris sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui castraverunt se ipsos propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. Si quis hæc omnia attento animo perpenderit, verissimum esse intelliget, quod Paulus Apostolus dixit, *Ephes. c. 5. v. 30. segg.* in verbis Moysis a Christo adductis magnum inesse mysterium. At neque Christus neque Paulus mysterium hoc nobis explicuit. Neque inter omnes Theologos & JCtos, quantum scio, quisquam fuit, qui rem totam ita, ut nihil dubii superesset, animo complecti verbisque edisserere potuerit: neque ego id possum. Est tamen JCti dare operam, ut, quantum humana permittit infirmitas, sententiam legis a Christo latæ cognoscat: quia secundum eam in foro ecclesiastico Protestantium judicari solent causæ divortiorum, quibus vix ullæ sunt aliæ, quæ magis animos hominum sollicitent ac perturbent. Quamobrem, omisissis plerisque, quæ jam ab aliis juris doctoribus de hoc argumento disceptata sunt, ante omnia, quoad vires ferent, omni studio contendam, ut de mente supremi legislatoris nostri inveniantur*

tur aliquid, quod clare liqueat. Ubi hoc fieri non poterit, conjecturas aliquas afferre earumque probabilitatem ostendere studebo. Ceterum semper cogitandum nobis est, graves & Christo & Mose fuisse causas, propter quas de ea re apertius dicere noluerint: videlicet ne mysteria indignos celanda in lucem proferrentur, atque ut reprimeretur quidem divortiorum temeritas, nec tamen pessundarentur infirmi, sed in tanta varietate causarum, propter quas conjuges inter se discordare possunt, religioni & iudicium & ipsorum conjugum aliquid relinqueretur,

III.

Permissum est a Mose marito, qui in uxore sua turpe aliquid deprehendisset, ut dimittere eam posset, modo tabulæ repudiî scriberentur: quod constitutum est, ut spatium daretur iræ, atque animo deliberatiore omnia fierent, utque mulier deinceps aliis ipsam ambituris fidem soluti prioris matrimonii facere, & contra pristinum maritum, si hic, mutato animo, de ea exhibenda agere voluisset, se tueri posset. *Deuteron. c. 24. v. 1.* Secta Hillelianorum, quam Pharisei secuti videntur, leves admodum ob causas id licere marito opinabuntur, exempli causa si uxor iusculum, quod ei coxerat, adussisset: alii contra, nimiam esse hanc licentiam, nec nisi ob gravem aliquam turpitudinem id fieri posse, rebantur. *Tract. Talmud. de divort. c. ult. inf.* Consuluerunt igitur Christum Pharisei, eequid juris esset. Respondit ille, inspiciendum in ea re & normæ loco habendum esse initium. At quod initium? Illudne quo homo unus fuit, an quo, creata muliere, duo jam fuerunt conjuges? Plerique verba Christi ad posterius tempus referunt. Neque probabilitate vacat hæc opinio. Nam cum, proposita quæstione de conjugio, ad initium, tanquam ad normam quandam provocatur, recte respici videtur ad tempus instituti conjugii, quod sine uxore ne intelligi quidem potest. Accedit, quod dilucide Christus de duobus loquatur, *masculum*, inquit, & *femellam creavit eos Deus*. At enim, si huic interpretationi assentiamur, difficile dictu est, quæ sit vis argumenti, quo Christus errorem Judæo-

Judæorum impugnavit. Sane, quoniam Deus creavit duos, voluisse eum, ut sibi mutuo adhærescerent, & in unum coirent, id non magis consequens est, quam si quis dixerit, quia Deus creavit unum, idcirco eum voluisse, ut duo essent, utque perpetua esset inter eos divisio. Nihil enim regulis interpretationis magis repugnare potest, quam factum aliquod, ex quo voluntas facientis cognoscenda est, eam in partem accipere, ut existimemus, voluntatem facti fuisse contrariam. Certum vero est, mulierem conditam esse ex parte quadam Adami, quam Deus ex eo exemerat : ideoque, si hujus temporis, tanquam primi initii, ratio esset habenda, dicendum foret, quod Deus disjuxit, id ab homine non esse conjungendum.

IV.

Itaque verius est, Christum in animo habuisse illud tempus, quo Eva nondum in rerum natura fuit, sicut Malachias quoque *e. 2. v. 15.* prohibitorum divortiorum hanc rationem affert, quod homo unus a Deo fuerit factus : quæ argumentatio omnino multum firmitudinis & roboris habet. Quoniam enim Deus initio Adamum ita creavit, ut foemella in eo inesset, deinde autem, mutato graves ob causas consilio, voluit, ut essent vir & uxor, qui antea masculus & foemella erant, unumque hominem constituebant, sequitur, ut hi duo homines, qui nunc liberorum quærendorum causa societatem faciunt, eo conniti debeant, ut, servata perpetua vitæ consuetudine, ad statum pristinum quam proxime accedant, & primæ atque optimæ creatoris sui voluntati morem gerant. Atque hoc modo ea, quæ hodie est inter conjuges, quasi unitas naturalem ac veram unitatem, quæ olim fuit, imitari debet.

V.

Quamobrem non oportet confundi masculum eum viro, neque foemellam cum muliere : quippe quæ & a Christo & a Mose accurate distingui videmus. Clare id apparet ex verbis Mosis : *quo die creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit eum, masculum & foemellam creavit eos, & benedixit eis, & vocavit nomen eorum Adamus, quo die creavit*

avit eos. *Genes. c. 5. v. 1.* In tam brevi oratione bis Mo-
ses dici, quo Adamus est creatus, mentionem fecit, non ut
intempestiva epanalepsi verbis elegantiam quandam concili-
aret, sed ut diligentius animadverterent lectores, die sexto
creationis unum hominem creatum esse masculum & femel-
lam. Id Marcus quoque *c. 10. v. 6.* confirmat, *Initio cre-
ationis*, inquit, *masculum & femellam fecit eos Deus.*
Nempe initium creationis est tempus illud, quod præces-
sit diem septimum, quo Deus, absolutis omnibus operibus suis,
ad quietem se contulit. Mulier autem demum post diem
septimum producta est, cum Adamus, lustratis omnibus
animantibus terrestribus & omnibus avibus, unicuique eo-
rum nomen aliquod imposuisset: neque ante eum diem A-
damus vir est appellatus.

VI.

Quando itaque Moses eumque secuti Evangelistæ de
uno Adamo aliquoties, tanquam de pluribus, loquuntur, id
eam ob causam fit, quod in eo duæ quasi personæ essent.
Similem enim ob causam Moses alique Prophetæ etiam de
Deo, ad cuius imaginem Adamus factus erat, modo tan-
quam de uno, modo tanquam de pluribus, loqui solent.
Exemplum esto is ipse locus, quo refertur creatio Adami,
antequam Eva ex eo prodiisset. *Genes. c. 1. v. 26. sqq.*
Hunc locum ita interpretabor, ut verba Hebraica strictè se-
quar. *Dixit Dii, faciamus hominem ad imaginem nostram,*
secundum similitudinem nostram, & dominantur in piscem
maris & in avem cælorum & in bestiam & in omnem
terram & in omne reptile repens super terram. Et crea-
vit Dii hominem ad imaginem suam, ad imaginem Deorum
creavit eum, masculum & femellam creavit eos. Et be-
nedixit iis Dii, & dixit iis, secundi estote, & multipli-
camini, & replete terram, & subigite eam, & domina-
mini in piscem maris & in avem cælorum & in omne ani-
mal repens super terram. In quibus verbis Moses de Deo
septies, tanquam de uno, septies etiam, tanquam de pluri-
bus, loquitur, de Adamo vero ter, tanquam de uno, no-
vies

vies, tanquam de pluribus. Et hæc omnia pertinent ad diem sextum, qui tum, cum hæc a Deo dicerentur ac fierent, nondum præterierat.

VII.

Incidimus jam in gravissimam quæstionem, quam causam Deus habuerit, quare ex uno, qui initio fuit, homine, demta ejus portione aliqua, duos fecerit. Non video, quid solidi responderi possit, nisi cum B. CHRISTIANO THOMASIO *Dissert. de fundamentorum definiendi causas matrimoniales hæctenus receptorum insufficientia* §. 17. statuamus, Adamum & ante & post creatam Evam lapsum esse, atque hos duos ejusdem lapsus minime confundi oportere. Sane haud obscura vestigia ejus rei in historia a Mose scripta offendimus: quæ si quis diligentius perquisiverit, vix dubium ei videri poterit, Adamum jam tum, cum solus esset, libera agendi, quod vellet, facultate non ita, uti par erat, usum esse. Ut enim alia complura, quæ post diem orbis conditi septimum, nondum creata Eva, evenerunt, & perobscure a Mose relata sunt, silentio præteream, jam eo tempore Deus Adamo fructu arboris cujusdam interdixit, pœnamque mortis, nisi pariturus esset, comminatus est. At justo, cujus incorruptus animus est, nulla lex est posita, 1. *Timoth. c. 1. v. 9.* multo minus talis lex, qua aliquid prohibeatur, minime omnium vero, quæ morte sanciantur. PUFENDORF. *de offic. hom. & civ. Præfat. §. 11. JÆGER. de fœdere gratiæ pag. 19.* Lata terribili hac lege, statim dixit Deus: *non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adjutricem, quæ sit quasi cum eo.* Sed cur tam subito res bona facta mala est? Scimus, die sexto, postquam homo solus creatus erat, omnia fuisse valde bona. Scimus etiam, Deum nunquam penitere operum suorum. *Numer. c. 23. v. 19. 1. Sam. c. 15. v. 29. Jac. c. 1. v. 17.* Ergo necesse est, in homine mutationem quandam interea factam esse, cujus hic ipse solus autor fuit: & sine dubio Deus, cum videret, animum Adami a Creatore conversum esse ad res creatas ignobiliores, funestioris eventus amolendi causa, sociam ei adjungere voluit, quæ

quæ paris conditionis esset. THOMAS, *l. c.* Age vero, imitemur hac in re argumentationem, qua Christus usus est. Annon legistis, hominem initio ita creatum esse, ut haberet fræmellam in seipso, & dixisse Deum, omnia esse valde bona? Itaque tum non erant duo, sed unus: & quod Deus conjunxerat, id non debebat separari. Dicitis: quare vero Deus paullo post censuit, non esse bonum, ut homo solus esset? Responderetur vobis: fecit hoc propter impuritatem cordis Adami, ob quam causam etiam Paulus, postquam dixerat, bonum esse, ne homo tangat mulierem, deinceps ait, necessarium esse, ut unusquisque uxorem habeat. *1. Cor. c. 7. v. 1. 17.* Sed ab initio non sic res fuit. Certe vires Adami interiores valde jam imminutas fuisse oportet, quoniam adjumento externo opus habebat. Nam, ut Jobus ait, *c. 26. v. 2.* qui adjumento eget, is ipse caret viribus. Quare Adamus adjutricem suam posthac quasi secum habiturus, quam antehac vere secum conjunctam habuerat, non dissimilis factus videtur homini vulnerato, qui usu pedis amisso, moxque ipso pede refecto, fulcrum externum capit, quo quasi pede incedat.

VIII.

Postquam Deus decreverat mulierem creare, primo Adamum oppressit sopor gravis, qui virium debilitatarum index fraterque mortis est, in quo certe nihil est, quod imaginem Divinam referat, quia Dominus, qui custodit Israël, nec dormitat nec dormit, *Psal. 121. v. 4.* Deinde dormienti adempta est portio quædam corporis. Enim vero, cum corpora omnium animalium a sapientissimo Creatore ita constructa atque apta sint, ut nihil sit in iis, quod supervacaneum sit habendum, nemini credibile videri potest, solius Adami, qui omnium operum Dei nobilissimum erat, inutiliter ampliatas partes fuisse. Ex quo sequitur, illum, amiffa sui aliqua parte, mutilum esse factum. Denique in locum ejus, quod ex illo exemptum erat, subtus posita est caro, cuius mox Adamum, cum paulo post plane sui dissimilis esset factus, puduit, & posteros ejus etiam nunc pudet. Plura etiam

iam indicia lapsus prioris reperiuntur in sermone, quem Adamus habuit, cum expergefactus dimidiatum se partemque sui coram adstantem videret. *Hac vice*, inquit, (divulsus est) *os de ossibus meis & caro de carne mea: Ischa*, id est, mulier *hac appellabitur, quia ex Isch*, hoc est, ex viro *sumta est*. Verba, *hac vice*, indicant, discrimen sexuum inter homines, uti ab initio non fuit, ita nec perpetuo mansurum esse. Homines enim mortui, quando revivissent, atque a Deo in integrum restituerentur, conjugia inter se non habebunt, sed similes erunt angelis: *Matth. c. 22. v. 30*, ibique GROTIUS in *Commentar.* cujus rei signum fuit circumcisio Judæorum aliorumque populorum, qui ritum hunc a majoribus acceperant. *Job. c. 7. v. 21. sq.* Deinde ait Adamus, *Evam esse carnem de carne sua*. Et necesse est omnino, carnem esse, quidquid ex carne est. *Job. c. 3. v. 6*. Sed corruptioni obnoxia atque inutilis res est caro, *Gen. c. 6. v. 3, Job. c. 6. v. 63. 1. Petr. c. 1. v. 24*, neque regni cœlestis particeps futura, *1. Cor. c. 15. v. 50*. Denique Adamus rem novam, quam Deus produxerat, *Ischa* sive mulierem appellari voluit: quod infirmi vasis nomen est. *1. Petr. c. 3. v. 7*. Quamobrem recte negatur in jure canonico, eam ad imaginem Dei esse conditam: *C. 13. causa 33. qu. 5*. condita enim est ad imaginem Adami jam lapsi, ad quam mares etiam omnes ex eo sunt procreati. *Genes. c. 5. v. 3. 1. Cor. c. 11. v. 7*. Imago enim Divina non propagatur per carnem: *Job. c. 1. v. 13*, sed aliquando recuperatur nova generatione, quæ fit per spiritum. *Job. c. 3. v. 5. sqq. Ephes. c. 2. v. 15. sq. 1. Petr. c. 1. v. 23. sq.*

IX.

Condita muliere, statim in genus humanum invasit mortalitas. Hoc apertissime colligi potest ex argumento Christi: *Luc. c. 20. v. 36*. *Sancti in cœlum recepti neque uxores ducunt, neque vivis nubunt: movi enim non possunt, sunt enim similes angelis, & sunt filii Dei*. Si ergo nemo qui immortalis est, vivit in conjugio, certum quoque est, neminem, qui vivit in conjugio esse immortalem, ideoque Adamo & Evæ, etiam si a fructu arboris venenatæ se abstinuissent, tamen mortis

tis aliquod genus fuisse subeundum. Omnium etiam, qui ex mulieribus nati sunt, breve est vitæ curriculum. *Job. c. 14. v. 1.* Paulus ait: *Rom. 5. v. 12. & 14. Per unum hominem peccatum in mundum intravit & per peccatum mors.* Et paullo post: *Dominata est mors ab Adamo usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt ad similitudinem prævaricationis Adami.* Alibi vero idem Apostolus scribit: *1. Timoth. c. 2. v. 13. Adamus non fuit corruptus, sed mulier corrupta & in prævaricatione facta est.* Quæ duo ejusdem scriptoris dicta inter se conciliari non possunt, nisi eam teneamus sententiam, Adamum initio creationis fuisse incorruptum atque immortalem, Evam contra jam eo tempore, quo procreata est, corruptam ac mortalem fuisse, quia scilicet labe quædam ei hæserat ex Adamo, qui jam ante ab imagine Divina deflectere & de statu suo declinare cœperat. Huc pertinet, quod CLEMENS ALEXANDRINUS *Stromat. l. 3. pag. 445. 452. 453.* ex Evangelio antiquissimo, quo olim Ægyptii sunt usi, refert: *Saloma interroganti, quousque homines morientur? respondit Dominus, quoad vos mulieres parietis.* Simile fere est colloquium Christi cum eadem matrona, de quo idem CLEMENS *pag. 465.* ex eodem Evangelio mentionem facit, jam antea commemoratum a Sancto CLEMENTE ROMANO, qui socius Pauli Apostoli fuit, *Epist. 2 c. 12.* his verbis: *ipse Dominus interrogatus a quadam, quando venturum esset regnum ejus, respondit, cum duo erunt unum, & exterius sicut interiorius, & masculus cum femella neque masculus neque femella.* Certum tamen est, in Adamo quam diu ille incola Paradisi fuit, plurimum pristinae majestatis fuisse residuum, donec pestilens cibus, quem voraverat, ei concoquendus esset: quo facto, omnia versa & in exitium prolapse sunt, successitque in locum corporis lucidi corpus fœtidum & cadaverosum, quale omnes hodie circūgestamus. *Observat. Halens. tom. 8. art. 6.* THOMAS. *Dissert. de fundam. decid. caus. matrim. insuff. s. 113 sqq.*

X.

His, quæ dicta sunt, vehementer obstare videtur, quod

B 2

NON

non appareat, qua ratione Adamus propagaturus fuisset genus humanum, si solus mansisset. Respondet THOMAS. *d. Differt. s. 17. habuisse eum potentiam spiritali modo in seipso & ex seipso se multiplicandi.* Eandem sententiam ab antiquissimis temporibus habuerunt omnes doctores Judæorum, teste HOORNBECK *de convertendis Judæis l. 4. c. 1. a quibus fortassis eam accepit PLATO Conviv. pag. 1185. edit. Francof. 1602.* Sunt etiam inter veteres Patres Ecclesiæ nonnulli, qui consentiunt. GREGOR. NYSSENUS *de hominis officio c. 22.* JOH. DAMASCENUS *Exposit. orthod. fidei l. 4. c. 25.* Neque multum ab hac sententia absunt, qui statuunt, Adamum & Evam, nisi peccassent & Paradiso ejecti fuissent, nunquam rei Veneræ fuisse operam daturus. PROCOPIUS GAZÆUS *Commentar. in Genes. c. 4. v. 1.* EUTHYMIUS *Commentar. in Psalm. 50. v. 7.* Sequitur enim ex eo, genus humanum ab illis in Paradiso alia longe ratione, quam in exilio postea factum est, propagari & potuisse & debuisse. Neque tam absurda est hæc sententia ut multi sibi persuadent. Omnes constitebuntur, tantam esse Dei potentiam, ut creare potuerit hominem facultate præditum sine adjumento mulieris liberos ex sese progignendi. Deus enim, si velit, vel ex lapidibus homini liberos excitare potest: *Matth. c. 3. v. 9.* etsi hoc incredibile visum sit Judæis, quibus non alius generandi modus innotuerat, nisi quem cum pecudibus omnibus habemus communem. *Job. c. 3. v. 4.* Consideremus, in agris lilia quomodo propagent genus suum. Non ducunt uxores, non nubunt. Ipse vero Salomon, licet scæmina sit gloria viri. *1. Cor. c. 11. v. 7.* tamen inter septingentas uxores & trecentas pellices, quibus circumdatus erat, gloriam suam gloriæ horum florum comparare non potuit: quia, uti reliqui homines, corpus nudum atque erubescendum habebat, & gloria ejus extra eum erat. Si vero herbam agri, quæ hodie floret, cras in clibanum conjicitur, Deus ita induit & circumdat, ut nuditas nulla, nullum sexus discrimen in ea sit, quidni credamus, primum etiam hominem ita circumdatum & quasi amictum fuisse,

fuisse, ut modo non erubescendo, sed majestate tanta digno alii homines ex illo & generari & nasci potuissent? *Luc. c. 12. v. 27. sq.* Sane nihil est probabilius, quam hominem statim ab initio talem fuisse, qualis olim erit, cum renovatus Angelisque similis factus postliminio in patriam suam recipietur, ubi Deus, ut *Jeremias c. 31. v. 22.* ait, *rem novam creabit in terra, famellam, quæ marem circumdet.*

XI.

Re autem vera voluisse Deum, ut Adamus, etsi solus esset, sobolem ex sese ederet, eaque terram impleret, benedictio ante Evam creatam homini impertita non obscure indicat. *Genes. c. 1. v. 28.* Apertius etiam Malachias id declarat, *c. 2. v. 15.* *Nonne, inquit, Deus unum creavit? fuit vero huic propagatio spiritus. Et quare unum? quia quæsit sobolem divinam.* Poterat igitur omnino Adamus, cum unus esset, propaginem sive traducem spiritus ex sese emittere, ut recte dixit Thomasius. Contra qui ex conjugio nascuntur, ii sunt traduces carnis. *Lev. c. 18. v. 6.* Manifesta igitur est ratio, quare non statim initio conjugium fuerit institutum: quia scilicet filii Adami esse debebant etiam filii Dei: hi vero non generantur ex carne, *Job. c. 1. v. 13, Rom. c. 9. v. 8. &*, qui ex carne non sunt, ii nec matrimonii indulgent *Luc. c. 20. v. 35. sq.* Exemplo est Melchisedechus, qui filio Dei similis factus, neque patrem neque matrem neque uxorem habuit, *Hebr. c. 7. v. 3.* Adamus igitur initio, cum integer esset, simul fuit masculum & femineum aliquid, ut ab Evangelistis neutro genere græce dicitur: quod bene notandum censuit ERASMUS. *Annotat. ad Matth. c. 19. v. 4.* Fuit ille virgo mascula, florens & fructum pariturus, ut palma, nec unquam, nisi integritate sua excidisset, cum muliere rem habiturus. Tales enim esse oportet filios Dei, qui gerunt nomen Patris sui, & coram throno ejus constituti Christum ubique comitantur. *Apoc. c. 14. v. 1. sqq.* Ex his quoque manifestior fit ratio, cur naturaliter pudori sint spiritui hominis membra genitalia:

qua de re idem Malachias dilucide instruit illos, qui verba
Hebraica intelligunt. c. 2. v. 16.

XII.

Præterea in verbis Mosis, quæ Christus allegavit, non est facile explicatu, quid sit illud: *homo adhærebit uxori suæ, & erunt duo in unam carnem.* Certum quidem est, verbis hæc, quia Christus ex iis præcipuum officium conjugum deducit, non simplicem prædictionem, sed præceptum contineri: hic enim Hebræorum loquendi mos est, ut, quod faciendum est, id factum iri, dicant. Credidi autem initio, quod ab aliis etiam creditur, ipsam individuum vitæ consuetudinem inter conjuges præcipi. Sed Paulus Apostolus 1. Cor. c. 6. v. 16. vagam etiam & prohibitam conjunctionem, quæ homini cum meretrice intercedit, adhæSIONem appellat, eaque duos in unam carnem coire affirmat. Itaque sine dubio non alia intelligenda est conjunctio, quam quæ sit concubitu: & præceptum est primis conjugibus, ut liberis quærendis & multiplicando generi humano operam darent. Si sermone Hebraici rationem habeamus, verba illa, *esse in unam carnem*, ita etiam interpretari licet, *esse loco unius carnis*: vid. Genes. c. 11. v. 3. quæ videtur optima interpretatio. Quamquam enim Christus dixit, conjuges non duos, sed unam carnem esse: manifestum tamen est, eos non vere esse, sed quasi unam carnem. Ita enim Paulus etiam Ephef. c. 3. v. 28. ait: *Maritorum est amare uxores suas, quasi sua corpora.*

XIII.

In Evangelii Marci c. 10. v. 11. & Lucæ c. 16. v. 18. sine ulla exceptione dicitur, adulterari eum, qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit. Matthæus autem exceptionem interserit, *ἐὶ μὴ ἰσὶ πορνείας*, hoc est, *nisi propter fornicationem*: retinendum enim est vocabulum quo & interpret antiquus Codicis sacri & Jcti utuntur. Quæ vero sit illa fornicatio, de qua Christo sermo est, inter eruditos non convenit. Maxima pars Theologorum & Jctorum adulterium intelligi vult: quorum opinio non est verisimilis. Nam crimen hoc jure Mosaico morte erat expiandum. Deuter. c. 22.

v. 22.

v. 22. ideoque tum de divortio libelloque divortii disceptari non poterat, nisi forte, quod rarissime evenire potuit, aut maritus rem occultaret, aut iudex contra jus tam clarum sententiam tulisset. BRUCKNER. *Decis. matrim. c. 17. §. 6.* Cumque *μορξία* seu adulterium sit species quædam *πορνείας*, & Matthæus illam ab hac alibi distinxerit, c. 15. v. 19. non apparet, cur maluerit in exponendo præcepto Christi, ubi vel maxime accurate ac distincte loqui decebat, nomen generis usurpare, si unam tantum illam speciem in animo habuisset. Alii igitur ad fornicationem referunt omnia delicta, quibus fides conjugii frangitur, & consuetudo conjugum dissolvitur, licet id non fiat impudicitie causa: ut si conjux alter alterius vitæ insidias struxerit, si concubitum pertinaciter recuset, si malitiose eum deseruerit, si ad perpetuum carcerem sit damnatus. BRUCKNER. *l. c. §. 3.* BOEHMER. *Jur. eccles. t. de divort. §. 26. sqq.* Horum enim casuum eandem esse causam sive rationem putant, quæ est ipsius fornicationis. Fundamentum hujus interpretationis in eo potissimum ponitur, quod in Evangelio Matthæi c. 5. v. 32. dicitur, *παρακτός λόγος πορνείας*, hoc est, *excepta ratione fornicationis*. Sed verisimilius est, non aliam esse sententiam, quam quæ est altero ejusdem Evangelii loco, ubi vocabulum *λόγος* omissum est: quippe quod apud Græcos, uti *dabar* apud Hebræos, item *ratio, res, causa* apud Latinos, crebro abundat. *L. 1. C. de repud. L. 1. §. 4. ff. de acqu. vel amitt. poss. L. 10. ff. de tutor. & curat. dat.* Neque opus est in vocabulo *λόγος* aliquid momenti querere. Nam facile unusquisque largiatur, sicubi eadem est ratio, quæ fornicationis est, ibi idem jus esse oportere. Sed nondum exploratum est, quid sit id, quod fornicationem Evangelista appellat: & multo minus, quæ sit ratio fornicationis illius, certo cognoscimus. Nonnullis tam late patere in verbis Christi fornicatio videtur, ut complectatur omnia peccata graviora, quæ morte non puniuntur, idololatriam quoque & avaritiam. Inter hos AUGUSTINUS est, cujus verba juri canonico sunt inserta. *C. 5. & 6. causa 28. qu. 1.* Et si vero negari non potest, sæpe
in

in sacris litteris. omnem a Deo defectionem fornicationem dici: tamen in quaestione ad matrimonium pertinente præstat, vocabulum illud sensu, qui usitator est, de re Venerea, & non tantum de adulterio, sed etiam de aliis peccatis, quæ ab impudicitia proficiuntur, intelligi.

XIV.

Puto autem, præter fornicationem, quæ sit concubitu, eam quoque intelligi, quæ solo corde cupiditate concubitus incenso perpetratur. Nam postquam Christus legem Mosaicam de adulteriis ita interpretatus erat, ut illud quoque adulterium, quod oculis & corde fit, prohibitum esse ostenderet, statim perrexit ad legem Mosaicam de divortii, & hæc non nisi ob causam fornicationis permessa esse, dixit. *Matth. c. 5. v. 27. sqq.* Valde igitur probabile est, ut in adulterio, ita in omni reliqua fornicatione a Christo peræque rationem habitam esse libidinis, qua cor uritur, atque actionis, qua crimen consummatur. Ex quo consequitur, intelligi fornicationem ab ipso marito in posterum cavendam. Nam propter peccatum sola cogitationum turpitudine vel a marito jam commissum vel ab uxore nondum commissum hanc dimitti, iniquissimum foret. Simili modo Paulus dixit, *uxores esse habendas propter fornicationes*, quas videlicet ipsi viri fugere debent. *1. Cor. c. 7. v. 2.* Liquido colligi hoc potest ex verbis Christi consequentibus, ubi ait, non adulterari quidem virum, qui uxorem propter fornicationem dimittit, sed si aliam ducat, tum eum adulterari. Nam si mens Christi hæc fuisset, divortium licitum esse propter fornicationem ab uxore admissam, ratio nulla excogitari potest, quare maritus innocens peccet, si aliam sibi adjungat. *C. 17. causa 32. qu. 7.* Accedit, quod a Christo additum est, rem hanc non ab omnibus capi posse, nam præter eunuchos natos & factos tertium genus esse voluntariorum, qui se ipsi propter regnum caelorum castraverint. Quæ quorsum pertineant, non apparet, nisi existimemus, a Christo potissimum ex causa voluntariæ illius castrationis, cujus nemo capax est, nisi cui ipse Deus hanc mentem dederit, di-

vortia

vortia permiffa effe. Hæc interpretatio comprobata eft refpon-
fo præftantiffimorum quorundam Theologorum Proteftanti-
um, qui tempore reftitutæ religionis vixerunt. SARCER, vom
heiligen Eheftand Part. 4. fol. 180. edit. prior. de A. 1553.
Veteres quoque Chriftiani, licet a divortii faciendis alienif-
fimi effent, tamen iis, qui, enecta carne, tota mente Deo ad-
hærerent, & cum eo unus fpiritus facti effent, divortia mi-
nime prohibita iudicarunt, ut animæ eorum, ad imaginem
Dei jam inftauratæ & ab omni voluptatum illuvie liberatæ,
puræ atque integræ fervarentur: BOEHMER. *Fur. eccles.*
t. de divort. f. 9. quod privilegium vitæ afceticæ datum
fucceffu temporis, degenerantibus Chriftianis primùmque
amorem, quo fervatorem fuum complexi erant, dimittent-
tibus, ad vitam monafticam tractum eft. *Novell. 22 c. 5. ibi-*
que HOMBERG. Si quis autem fuerit, pietati quidem &
fanc-timonix ferio ftudens, fed qui nondum carnem fuam
ita, uti vult, in poteflate habeat, is quidem ad tempus ali-
quod, uxore confentiente, fecedere poterit, ut jejniis ac
precibus vacet: fed fi deinde fentierit, fe folitudini diutius
ferendæ parem non effe, reverti debet ad uxorem, quam ha-
bet, non, hac relicta, aliam quærere. *1. Cor. c. 7. v. 5.*

XV.

Superelt ultima quæftio de ufu legis evangelicæ de di-
vortii, non eo quidem, qui eft in foris noftris, hic enim fati-
notus eft & ab aliis copiofe expofitus, fed qui ex voluntate
Chrifti effe debebat. Mihi maxime probatur fententia Theo-
logorum & Jctorum illorum, qui, legem hanc ad forum hu-
manum pertinere, plane negant. Nufquam enim Chriftus le-
ges civiles vel veteres abrogare vel novas ferre voluit: fed ad-
monuit tantum auditores fuos, legibus civilibus nonnulla
permitti & iufta haberi, quæ neque pia neque honefta neque
humana fiat. Infpiciamus modo omnes illas leges evangeli-
cas, quas Chriftus eodem tempore concioni populi in monte
congregati inculcavit, quarum præcipuæ funt: *fi irafcaris*
fratri tuo, veum te effe iudicii: fi uxorem alienam animo im-
putidico adfpicias, vel tuam dimittas, adulterii te veum fieri:
C
effo-

effodiendum esse oculum dextrum & amputandam manum dextram, si borum membrorum ministerio animus corrumpatur: nunquam esse jurandum: si quis tibi percusserit malam unam, obvertendam ei etiam alteram: si quis litem tibi movere, togamque tuam sibi vindicare voluerit, dandam ei etiam tunicam: si quis te suscipere coegerit iter milliarius unius, faciendum iter milliarium duorum: dandum esse petenti, neque averfandum eum, qui mutuam pecuniam a te vult sumere: benedicendum maledicentibus: beneficiis devinciendos inimicos. Inter tot præcepta, quæ Matthæus uno capitulo Evangelii sui est complexus, nullum est, secundum quod in foro sententia ulla pronuntietur, excepto unico illo, quod ad divortia pertinet. Debemus hoc Clericis Romanis, qui, licet reliqua non esse vera præcepta, sed tantum exhortationes quasdam, arbitrarentur, C. 1. in f. causa 14. qu. 1. eaque omnia in vita civili negligerent: tamen, cum ipsi immunes essent ab uxorio malo, præceptum de divortio, tanquam legem aliquam civilem, Laicis constantissime servandum imperarunt. Tanta fuit illorum proclivitas ad imponendum alienis humeris gravissimum onus, quod ipsi ne digito quidem attingerent. *Matth. c. 23. v. 4.*

XVI.

Licebit autem nobis legem evangelicam de divortii ita interpretari, quemadmodum plerique & Theologi & J. C. tilegem evangelicam de jurejurando, eodem tempore a Christo promulgatam & sæpius in Codice sacro repetitam, *Matth. c. 5. v. 34. & 37. Jac. c. 5. v. 12.* interpretari solent. Ajunt, prohiberi jusjurandum tantummodo temerarium, illud contra, ad quod necessitate vel probabili aliqua ratione adigimur, non prohiberi. Hæc interpretatio invenitur in jure canonico: C. 1. 2. 5. & 6. causa 22. qu. 1. cui assentiuntur nostrates. OSIANDER *ad Grot. l. 2. c. 13. §. 21.* SPENER. *Consil. Theol. German. P. 2. c. 3. art. 1. sect. 5.* SETSER. *de juram. l. 1. c. 2. n. 28.* B. DN. de COCCEJI *Vol. 1. Disput. 8. de jurej. §. 24. sqq.* Similiter dicemus nos, quod ipsum etiam in jure canonico C. 18. causa 33. qu. 2. & a BU-CERO

CERO Enarrat. in Matth. c. 19. pag. 391. item a MEVIO P.
 6. Decis. 225. sub f. dicitur, temerarium quidem divortium
 vetari, minime vero illud, quod a iudice vel, ubi huic id
 per leges humanas non licet, a Principe, causa cognita, gra-
 ves ob rationes decernitur. Si enim iudex, neglecto præ-
 cepto evangelico, iurandum deferre partibus litigantibus
 potest non aliam ob causam, quam quia illud omnis contro-
 versia, quæ defacto obscuro atque incerto oritur, finis est,
Hebr. c. 6. v. 16. poterit quoque quascunque graves ob causas
 divortium conjugibus permittere, quia hic expeditissimus
 modus est finiendi lites eorum, & sæpe non alia via est, qua
 res, vivente utroque, ad exitum perducipotest. Secundum
 hanc interpretationem vixerunt populi Christiani usque ad
 ætatem Iustiniani, & aliquanto etiam postea: donec placuit
 Ecclesie Latinæ Augustini sententiam sequi, quam ille duo-
 bus in Pollentium libris tutatur. ALCIAT. *Parerg. l. 6. c.*
 20. Ecclesia Græca vero hodie quoque jure antiquo utitur.
 SELDEN. *Uxor. Ebr. c. 26 & 32.*

XVII.

Pleraque præcepta Christi supra commemorata fluunt
 ex axiomatico, non esse resistendum malo. *Matth. c. 5. v. 39.*
 Equo animo ferendæ sunt injuriæ ac molestiæ, quibus alii
 quicumque nos afficiunt: ergo æquiore etiam animo ferre
 quisque debet has, quas mala mulier ei constat, cogitandum-
 que est, uxores non voluptatis tantum, sed etiam patientiæ
 & mansuetudinis exercendæ causâ nobis datas esse! At si
 idem axioma norma judicandi esse debuerit in foro huma-
 no, sane de omni fere pace & civili & domestica inter ho-
 mines actum erit, & immanissima quæque scelera, aperta
 quasi porta, prorumpent. Rectissime igitur Leo Philoso-
 phus Imperator, de iurejurando in sacris litteris prohibito
 agens, *Nov. 97.* ait: *Hoc sentimus, Domini iussum non sim-
 pliciter ad moderanda communis vitæ negotia, sed ad consti-
 tuendum illis, qui ad beatam illam sublimitatem ascendere
 desiderant, in perfectiorem rempublicam gradum esse promul-
 gatam. Cujus sane generis nonnulla etiam alia sunt, ut*

hoc, ne solliciti sitis anima vestra, quid esuri sitis, ne reponatis thesauros in terra, & cetera, quæ eodem dicta sunt. Hæc enim & similia seorsum perfectioribus demandantur. Cumque Basilius Macedo usuras prohibuisset, Leo legem illam sustulit Nov. 83. his verbis: *Usura ubique a Spiritibus decreto condemnantur. Id sciens Pater noster, æternæ memoriæ Princeps, usurarum solutionem sanctione sua prohibendam putavit. At propter redundantem in humana vita perversitatem non modo non profuit hujus virtus, sed etiam obfuit. Quanquam igitur ex se legem culpæ, quod quidem etiam absit, nequeamus, propterea tamen, quod humana natura ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus. Simili modo idem Leo Nov. 111. scripsit, præceptum Christi de divortiiis præclarum quidem & Divinum esse, verum non recte neque secundum Divinum propositum, quando de causis conjugum forensibus agitur, in medium afferri.*

XV III.

Probe intellexit pius Imperator, alias in regno Christi leges observandas esse, alias in regnis mundi. Cives regni celestis, cui Christus præest, sunt homines vere pii, qui omnibus viribus contendunt, ut nulla macula, nulla labe contaminati, sed toti puri atque inculpati Deo listantur. *Ephes. c. 5. v. 27.* Tales qui sunt, si scriptam sibi esse sciant, legem evangelicam de divortiiis pariter atque illam, quam eodem tempore Christus dedit iis, qui non procul a perfectione absunt, *si vis perfectus esse, inquit, age, quidquid habes, vende & da pauperibus. Matth. c. 19. v. 21. Marc. c. 10. v. 11. Pr. & C. 1. causa 14. qu. 1.* At civium, quibus principes terrarum imperant, maxima pars parum probitatis parumque sapientiæ habet, neque civitatis cælestis & perfectionis consequendæ magno desiderio afficitur. Horum infirmitati, perversitati & gravioris jugi impatientiæ Principem in legibus ferendis litibusque eorum dirimendis aliquid indulgere oportet, ne animi, quorum vitia emendare vult, nimia disciplinæ severitate magis etiam depraventur. *GROT. de jure belli & pac. l. 1. c. 4. §. 7. n. 2.* Quis non, re bene considerata, indulgendum aliquid esse cen-

centat marito habenti uxorem perpetuo exilio vel carcere multatam, vel furore diuturno, cujus depellendi spes non sit, laborantem, vel omni vitiorum ac nefariorum scelerum genere coopertam, cujus malitiam cohibere nulla honesta ratio possit, quæ centies in anno maritum res suas sibi habere jubeat, centiesque ducenda sit, quæ nunquam spiritu frumenti vinive non sit ebria, quæ assidue bacchetur, mine- tur, fremat, latret, tianiat, murmuret, & vix ullam vocem humanam emittat, quæ die noctuque, etiam in ipso concu- bitu rixetur, voluptatem illam, quæ remedium discor- diae esse debebat, morum asperitate reddens injueun- dam, quæ, si imperata facere maritus noluerit, verberi- bus miserum cædat, sandalio caput ei contundat, capillos evellat, unguibus faciem laceret, & vix oculis parcat, vel sibi- mer etiam ipsi in furore iræ infesta facta in aures revellat, tani- am pallamque discerpat, genis manus violentas inferat, su- pellestem in plateam conjiciat, cum qua non melior, quam cum leæna quadam vel dracæna, pax & securitas haberi possit, quæ identidem ex sola animi morositate corporis sui usum marito suspiranti iuberat, aut fecunditatem suam sufflami- net, aut sæterum jam conceptum elidat, quæ nunquam formosa domi videri velit, instar putidæ suis totam cutem semper coc- no delibutam habens, fellamque & fellibulum merum olens, quæ pessimis atque impudentissimis mendaciis assueta nun- quam, quod verum sit, dicat, quæ, re familiari & educatione liberorum posthabita, quotidie per urbem vagetur, amicos amicasque, cum quibus morum similitudo eam conciliavit & conjunxit, visitans, quæ non solum exemplo, sed etiam præ- ceptis animos liberorum corrumpat, quæ dicacitate falsisque criminationibus & sibi & marito gravissimas turbas concitet, quæ mille modis virum decipiat, expilet & luxu pompaque extremam ad inopiam redactura sit, cujus ille vel nomine au- dito erubescat, gemat ac fleat, quæ sit quasi vomica quædam & carcinoma ejus, pusque in ossibus, cum qua, licet viven- te, nulla tamen vitæ consuetudo sit, ideoque nec matrimoni- um ullum, sed perpetua & miserrima viduitas? Profecto

Junonem talem domi perperi ac perferre haud minus difficile est civi mundano, qui civitatis cœlestis nondum particeps est factus, quam si, abjectis divitiis, quas habet, paupertatem atque ignominiam pati & reliqua præcepta Christi, quæ sunt generis ejusdem, observare cogatur. Innumera sunt exempla funesti exitus, quem hujuscemodi conjugia habuerunt, nisi dissoluta fuerint. Sæpe infelix conjux intolerabilibus cruciatibus animi lente interemptus est, aut voluntariam mortem sibi conscivit, aut alterius conjugis vitæ insidias struxit, aut adulteriis indulfit, aliisve sceleribus se contaminavit, & plerumque utraque pars, in inimicitia perseverans atque ad omnes pias meditationes & exercitationes inhabilis reddita, salutis æternæ jacturam fecit.

XIX.

At magnopere cavendum est legislatori civili, ne prohibeat mala leviora, quibus prohibitis, graviora nasci necesse sit. Hoc enim juri naturæ penitus est adversum, B. D. N. de **COCCEJI** Vol. 2. *Consl.* 560. n. 14. 15. *Et* 27. Majus vero malum est, hominem in magnum vitæ & salutis periculum venire, quam fœdus matrimonii violari. Exempla sanctorum nos hoc docent. Abrahamus, de vita sua metuens, Saram uxorem suam bis adulterio, non nisi per extraordinarium Dei auxilium evitando, exposuit. Et hæc necessitate se obstrictam sentiens, saluti illius, quam pudicitia & famæ suæ servire maluit, *Genes. c. 12. v. 11. sqq. c. 20. v. 2. sqq.* Utriusque consilium laudatur a Patribus Ecclesiæ, **CHRY-SOSTOM.** in *Genes. homil.* 32. **AMBROS.** de *Abrab. l. 1. c. 2.* Multo magis igitur lex de conservanda vita hominis anteponi debet legi de vitando divortio, quod non verum, sed quasi quoddam adulterium est. **M. E. V. P. 7. Decis.** 380. *init.* Stuprum quoque inter quasi adulteria est referendum: *1. Cor. c. 6. v. 16* tamen Lotus Abrahami frater, ut vitæ hospitem parceretur & alia mala caverentur, filias suas stuprandas Barbaris obtulit, *Genes. c. 19. v. 8.* Neque male id factum esse, judicavit **AMBROSIVS**; *l. c. c. 6.* quem sequitur jus canonicum, *C. 12. causa. 32. qu. 7.* Principis ea est potestas, ut,

ut, majoris mali avertendi causa, iussu illius caput hominis a cervice abscindi, & totum corpus ab anima separari possit, licet hæc multo arctius a Deo conjuncta sint, quam vir & uxor. Quidni igitur liceat ei dissociare per aliquod conjugum, quorum animos Asmodæus quidam ita jam distraxit & divulsit, ut spes nulla super sit reconciliandæ concordiæ, quæ tamen est velut anima conjugii? Uti sabbatum est propter hominem, non homo propter sabbatum: *Marc. 2. v. 27.* ita multo magis idem dicendum est de conjugio. Sabbatum enim initio creationis institutum, & ne quis illud profanaret, in ipso Decalogo præceptum est, neque alia lex Moysi extat, qua huic derogetur: matrimonium contra initio creationis nondum fuit, & disjunctio illius in legibus Mosaicis non modo nusquam diserte prohibita, sed etiam, modo scriptura accederet, maritis permessa est. Imo licebat in republica Judaica dominis, ne res eorum familiaris detrimentum aliquod caperet, dirimere conjugia servorum. Quando enim servi natione Hebræi manumittebantur, quod faciendum erat anno septimo, ancilla contubernalis, quam quisque a domino acceperat, in hujus potestate remanebat, & liberto, relicta illa, alio migrandum erat. *Exod. c. 21. v. 3. sq.* Jam ante tempora Moysi Abrahamus Hagarem una cum filio Ismaële, quem ex ea genuerat, quod illa æque, ut hic, turpiter se gessisset, domo expulit, ac deinceps, mortua Sara, aliam uxorem duxit. *Gener. c. 16. v. 4. sqq. c. 21. v. 9. c. 25. v. 1.* Siracides, qui sapientissimus vitæ morumque magister est, non tantum suadet, sed præcipit: *Ne concedas nimiam licentiam uxori mala. Si ad manum tibi esse voluerit, a carnibus tuis eam abscinde. c. 25. v. 25. sq.*

XX.

His omnibus diligenter consideratis, equidem cum aliis multis JCtis plane sum persuasus, licere Principi Christiano non modo propter adulterium & malitiosam desertionem, sed etiam propter alias causas, ubi magna mala metuenda sunt, divortia petentibus permittere. Imitabitur in ea re Princeps Divinum legislatorem Moysen & ipsum Deum, qui eandem

eandem facultatem concessit populo suo, cui uni illis temporibus oracula Divina erant credita. Non est existimandum, solorum Judæorum tantam fuisse duritiam animi, ut propter eam licentia divortiorum toleranda esset, Christianorum ple-
 rorumque, ut hodie sunt, non molliora sunt pectora. Qui enim conjugis innocentis curam non habet, is fidem Christianam ejurasse, & Ethnico pejor videtur. 1. *Timoth. c. 5. v. 8.* Nostris vero temporibus in causis divortiorum eo magis connivendum erat, quod uxorem perditam & amentem habenti non æque, ut olim Judæis, liceat, retenta illa, in eorum allegere aliam, quæ levamento doloris esse possit. Ipsi Theologi, qui seculo decimo sexto doctrinam Christianam a corruptelis repurgarunt, eandem sententiam sunt secuti. LUTHERUS ait: *Si qui sunt Christiani, qui vitam non Christianam cum uxoribus agant, bene se res habitura est, si iis permittatur jure Mosaico uti.* Libro vom ehelichen Eeben *Parte 2. & ex eo SARCEER. vom heiligen Ehestand Part. 4. fol. 137. b. edit. prior.* Plura dicta Lutheri, quorum eadem est sententia, collegit BRUCKNERUS. *Decis. matrim. c. 16. §. 20.* MELANCHTHON: *Extat lex Theodosii, quæ fieri divortia concedit, non tantum propter adulteria & desertionem, sed etiam propter sævitiam & insidias vitæ structas. L. 8. C. de repudiis. De his causis quæri potest: & canones de vitæ periculis aliquid statuerunt. C. 6. causa 31. qu. 1.* Etsi autem nolo magis laxari vinculum conjugii, tamen, cum lex Divina divortium propter impios & indomitos concesserit, sapiens Magistratus, dicens jus impiis & indomitis, posset conscientia & vitæ pii hominis ex ea lege consulere. Apparet etiam, illam Theodosii legem gravi consilio latam esse. Cum enim antea fierent divortia sine gravibus causis, ut cuilibet libebat, more Turcico, & fierent, re non judicata, Theodosius hac lege illam ethnicam licentiam adstringere voluit, & causas nominatim recenseret, propter quas solas concedi vult divortium, & vetat ea fieri, re non judicata. Quod autem plures cause nominantur, quam duæ, ejus consilii aliqua ratio fuit non vituperanda. Sed hæc judicio

dicio sapientum Magistratum & Pastorum commendanda sunt, qui etiam querant, ex quo fonte consulendum sit illi, qui propter lepram carere consuetudine conjugis cogitur. Commentar. ad I. Cor. c. 7. præfat. in f. Operum Theol. Vol. 4. pag. 232. Conf. Vol. 1. pag. 343. BRENTIUS: Facile conciliari potest verbum Dei cum jure Mosaico & Imperatorio. Illud simpliciter, quæ bona sunt, præcipit: hoc autem permittit malum levius, ut gravius evitetur. Verbo Dei soli pii Christiani reguntur, jure civili ceteri homines. Tract. von Ehe-Sachen & ex eo SARCER, fol. 155. b.

XXI.

Memorable in primis est Consilium Theologorum veterum, cujus jam supra mentio est facta, lingua Germanica scriptum, & ab ERASMO SARCERIO, qui Lutheri tempore Lipsiensium Pastor fuit, in dem Buch vom heiligen Ehestand A. 1553. editum. Autores hujus consilii, quos Melanchthonem & Brentium fuisse existimat BRUCKNER. Decis. matrim. c. 16. §. 16. multa cum gravitate scribunt: Non esse cogendos, ut in matrimonio perseverent, eos, quæ animis totaque vita nimium inter se dissident. Melius longe & legi Divina magis consentaneum, istisque liberis communibus utilius futurum esse, si Magistratus illis divortium permiserint. Stabile connubium anteponendum quidem esse divortio, quippe quod adulterio haud levius malum est: sed illud tantummodo esse verum conjugium, in quo vir cum uxore sine gravi offensa vivit. Ubi autem intestina dissidia eos in unum coire non sinunt, ibi non esse conjugium, & salutaris utrique futurum, bene disjungi, quam male coherere Cavendum esse judici, ne sapientior sibi videatur ipso Deo, qui discordes dissociari voluit. Homines tales legi subjectos, Evangelii vero nondum capaces esse, ideoque nec trahi ad eos posse, quæ Dominus noster Jesus de officio conjugum præcepit. Providendum esse, ut illi, quam fieri potest, minimum peccent, neque, rupta jam connubii copula, perfidiae suæ hoc etiam mali addant, ut se mutuis ac perennibus cruciatibus consciant. Illi certe conjugii, cujus non est emollienda animi durities, non modo permittendum, sed etiam officio judicis in-

D

jungen.

jungendum esse, ut exmatrimonio discedat, neque alterum innocentem atque jam satis afflictum duntius, quasi captivum & compedibus constrictum, teneat. At divortium tale, etsi a Deo præceptum, tamen repugnare veteribus institutis nostris, ideoque, ne hæc infirmentur, tolerabiliora nobis videri immanissima bella domestica, & cum iis plerumque conjuncta adulteria, aliaque teterrima mala, quæ Deus prohibuit. SARCER. l. c. pag. 179. b. 181. b. & 182. In alio consilio Theologico haud minus memorabili, quod **AMDXXXIX.** datum, & a Luthero, Melanchthone, Bucero, Corvino, aliisque quatuor Theologis subscriptum est, dicitur: *Quod circa matrimonium in lege Moysi fuit permixtum, Evangelium non revocat aut vetat.* BRUCKNER. Decis. matrim. post c. 14.

XXII.

In eandem sententiam iverunt quidam ex Theologis, qui apud Helvetios sacris repurgandis operam navarunt. P. MARTYR, Dices, inquit, quid, si hodie inveneris inter Christianos tam duros corde & pervicaces ad inimicitias & odia retinenda in conjugis, ut Judæos vincant, nedum illis æquentur? Quare, cum sit idem morbus, idem remedium non relinquitur? Respondemus, eos, qui sunt ejusmodi, a Christo alienos esse. Idcirco eos reipublica committimus, ut statuat de illis, prout melius visum fuerit. Quando enim ab Ecclesia emendari non possunt, illos ut ethnicos & publicanos habemus. Agatur cum eis legibus civilibus. Commentar. in 1. Cor. c. 7. v. 10. BULLINGERUS: Christiani & pii Imperatores, sanctus Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Anastasius & Justinianus insidias vitæ fructas, veneficia & alia delicta inter justas divortii causas retulerunt. t. C. de repud. Omnis enim homo, qui ratione est præditus, facile videt, matrimonium a Deo ad salutem & commodum hominis, non vero ad ejus perniciem esse institutum. Quare ii, qui conjugii misere vexato atque afflictio nullam ob causam divortium permittunt, similes sunt Phariseis, qui propter præceptum de sabbato colendo putabant homini peccandum esse. Tract. vom Christlichen Ehestand, & ex eo SARCER, fol. 158. b. His jungam BUCERUM, qui Reformatis pariter ac Lu-

the.

theranis partibus addictus fuit. *Ubi impii sunt, inquit, ut æqua est hodie cordium eorum duritia, ita non minus miseris uxoribus per magistratum oportebat consuli, quam olim. Neque enim minore, quam Moses, potestate, hac quidem in re, fungitur magistratus quilibet: præstaretque, ut, sine perpetuo cruciatu uxoribus, hujusmodi duri corde adulterium dimittendo eas committerent, quam ut præter adulterium, quod continue, dum uxorem non ut uxorem habent, perpetrant, etiam perpetuam illis addant carnificinam. Id quod nimirum Christianorum Cæsarum sancta lex comprobat. Certe magistratus est, curare, ut commode & tranquille vivatur. Si jam aliquorum obsat cordis duritia, quo minus conjunctis in matrimonio id liceat, non debet indignum se ducere, uti remediis, quæ Deus ipse instituit: neque credendum, quod quidemquam Christus damnarit eorum, quæ Pater præcepit. Jam duris corde ille præcepit, si nolent maritali aequitate uxores tractare, ut libertatem illis facerent libello repudiî nubendi aliis, quanquam istam illorum cordis duritiam nunquam non damnaverit, qui ante omnia semper exegit dilectionem mutuanam. Animum Christus adulterii reum peragere voluit, qui contra jura conjugii ita averfaretur uxorem, ut præstaret eam ipso liberari, quam manere conjunctam: legem autem repudiî non damnavit, nec damnare potuit, qua consuli scilicet possit uxori alias gravius periclitatura, sicut, et si litigantes suaque contendendo jure repetentes cum jactura caritatis Christus damnat, legem tamen non damnavit, qua ad restituendum, quod utique mali abstulerunt, compellantur. Magistratus igitur Christianus sciat, externa omnia sibi demandata, ut ad gloriam Dei publicamque honestatem cuncta instituat, neque dedecere se, quod Moses in populo Dei permisit. Idem & noster Deus est: atque utinam tam sancte respUBLICæ vestræ gubernarentur, ut illa gubernata a Mose fuit. Incredibili sane hic, ut & in aliis rebus, cæcitate percussus sumus. A legitimo & salubri divortio, post quod secundæ nuptiæ permittantur, nemo est, qui non abhorreat maxime, interim autem ad adulteria & supra connivetur, imo arvidetur, & probantur divortia illa Episcopalia, prohibitis secundis nuptiis, quibus nihil aliud, quam scortatio atque omnis pudicitie ex-*

terminium alitur & fovetur. Vere orandus Deus est, ut nostris magistratibus oculos aperiat, quo videre possint, quid sibi & liceat & mandatum sit. Hæc libuit commentari, non quod de regno mundi præter officium meum sim magnopere sollicitus, sed quod experiar quotidie, innumeras conscientias partim excarnificari, partim periclitari, eo quod magistratus nostri, etiam qui Christiani sibi videntur, perniciosas pontificum de re hæc leges saluberrimis & Dei & Caesarum legibus non præferunt tantum, sed etiam contra has observare illas cogunt. Enarrat. in Matth. c. 19. pag. 390. §99. Neque prætereundus est ERASMUS, vir nulli quidem sectæ serviens, sed haud sane impius, neque Theologicæ scientiæ expertus, qui Theologis Protestantibus in emendanda doctrina magno adminiculo fuit. Is ait: Si, ut conditus erat, homo perseverasset, nullum erat futurum inter ullos divortium. Christus revocans suos ad pristinam innocentiam non vult divortium, quia non vult duos corde: & tamen Paulus indulget humana fragilitati, relaxans sæpenumero Domini præceptum. Cur non idem faciat Romanus Pontifex? Quod objicitur ex eodem loco, quod Deus conjunxit, homo ne separet, non magno negotio solvi potest. Hoc Deus conjunxit, quod rite conjungitur: hoc Deus dirimit, quod rite dirimitur. Ubi, cognitis causis, Episcopus aut alii legitimi iudices dirimunt matrimonium, non hoc separet homo, quod Deus conjunxit: sed quod male conglutinavit pueritia, quod vinum, quod temeritas, quod inscitia, quod male per lenas ac lenones, suos diaconos, conjunxerat diabolus, hoc per suos ministros recte dirimit Deus. Apud nos error conditionis irritat contractum & consummatum matrimonium, veluti si quæ nubat servo, quem credebat ingenuum: error qualitatis non dirimit. Quasi non sit tolerabilis servo junctum esse, quam venefico aut mago & homicidæ aut etiam parvicidæ. Quod levius est, non exigitur: quod gravius est, exigitur. Annotat. ad 1. Cor. c. 7.

XXIII.

Vidimus, quid de jure divortiorum senserint Theologi, quorum pietati & operæ restitutionem doctrinæ Evangelicæ maxime debemus. Ne autem hæc sententia in Confloribus Protestantium reciperetur, factum est intercessione illorum,

illorum, quos B. Lutherus Juristas atque acerrimos hostes Evangelii appellat. STRUV. *Histor. jur. c. 7. §. 37. pag. 661. sqq.* Quas vero causas habuerint hi homines, ut Theologis reclamarent, optime nos docet SCHURFFIUS *Centur. 1. Consil. 57. n. 7. sq.* his verbis: *Aliqui Theologi nostræ temporis, magna autoritatis & eminentis doctrine, volunt, quod vir, qui dimiserit uxorem ex judicio Ecclesie ob fornicationem ejus, possit alteram ducere & e contra. Et moventur principaliter per dictum Salvatoris Matth. c. 5. v. 32. & Apostoli 1. Cor. c. 7. v. 15. Et licet dictum eorum argumento a contrario sensu satis videatur innuere illorum opinionem: tamen dictum Apostoli, me iudice, penitus nihil facit, quia verum sensum prædicti dicti declarat textus in C. Quanto X. de divor. Tamen de hoc diutius non insisto & abundent præfati Domini Theologi suo sensu. Tamen durum est recedere consulendo & judicando a communi sententia sanctorum Patrum, & omnium constitutionum Papalium, & etiam a sententia omnium Doctorum Scholasticorum & Jurium, cum expressam textum juris Divini, directis verbis seu in sensu directo decidentem in hoc contrarium, non habeamus. Schurffius hic Juristarum Wittenbergensium & hostium Lutheri intestinorum antesignanus fuit, vir sane honestus, probus atque eruditus, sed valde opiniosus & jus, quod juvenis didicerat, senex spernendum fateri obstinate recusans, mortuus tandem hic Francofurti, ubi post obitum Lutheri, cum Saxonia calamitose bello premeretur, domicilium invenit, & per septem annos munere antecessoris functus est. Is jam A. MDXX. concoquere non potuerat injuriam, quam sibi totique JCtorum ordini factam rebatur, quod Lutherus jus canonicum, rogo exstructo, publice combussisset, ZIEGLER. *de orig. & increm. jur. canon. §. 65.* Cumque hic extremis vitæ suæ annis in JCtos, Collegas suos, quod in causis matrimoniorum jus non civile, sed canonicum sequendum ducerent, acerbe inveheretur, eosque cum Juda proditore compararet, ac Decretum & Decretales, corrupta ad risum excitandum prima syllaba, *Drecketum & Drecketales* appellaret, factum est, ut in primis vehementer ei resisteret Schurffius, qui ætate aliquanto provector erat, & haud minore autoritate tum in Academia*

tum in Aula Principis Electoris florebat, cumque natione Helvetius esset, æque, ut Lutherus. graviter & cordate verba facere poterat. Erant etiam illis temporibus alii nonnulli Jcti, qui eandem cum Schurfio tenebant sententiam & in Aulis utriusque Principis Saxonie gratia multum valebant, in quibus fuit Melchior Klingius ille, cujus epistolam de divortio ad Erasmus Satcerium scriptam BRUCKNERUS cum animadversionibus lectu non inutilibus edidit. *Decis. matrim. post c. 16.* Hi quidem Lutherum, tanquam restitutorem religionis colebant: sed ut idem juris etiam corrector & emendator esset, id, quasi rem exemplo nocituram, maximopere aspernabantur.

XXIV.

Subsequentibus autem temporibus magna animorum commutatio facta est, multumque & Theologi & Jcti ab institutis majorum suorum deflexerunt. Sæpissime enim recentiore ævo factum est, ut in causis divortiorum Jcti sententiam Theologorum veterum, contra Theologi sententiam Jctorum veterum maxime approbarent. Nostræ Academiæ Jcti jam pridem Schurfii superstitionem antiquarunt: neque multum repugnarunt Theologi. Utriusque Ordinis Professores An. MDCCXIV. de divortio ob inimicitias implacabiles faciendo consulti, postquam & separatim & conjunctim causam diligenter ponderaverant, luculento responso dato censuerunt, divortium eam ob causam a Principe permitti posse. B. DN. de COCEJI *Vol. 2. Consil. 560.* Cumque ante paucos annos vir quidam, capitalis facinoris suspectus, in fugam se contulisset, ejusque ad mortem damnati effigies patibulo esset affixa, a Consistorio autem Civitatis liberæ, in qua ille domicilium habuerat, uxori paulo post facultas facta esset alii viro nubendi, quæ ex re, marito priore post impetratam abolitionem reverso, gravis lis orta erat, omnibus utriusque Ordinis Assessoribus consentientibus, A. M. DCCXXXVI. responsum est, sententiam Consistorii & legibus civitatis & multorum Principum Evangelicorum constitutionibus esse consentaneam, neque sacris litteris adversam. Plura exempla hujus generis, quæ afferri poterant, consulto prætereo. Aliarum quoque Academiarum Collegia Theologica

logica & Juridica, ipsaque Consistoria Evangelicorum de rigore pristino, qui ex jure Pontificio remanserat, multum nostro tempore remiserunt. BRUCKNER. *Decis. matr. c. 16. 21. 23. & 24.* BOEHMER, *de jure Princip. circa divortia c. ult. §. 17. sqq.* Spes etiam est, fore, ut Principes Evangelici in dies magis intelligant, constitutiones Pontificum Romanorum in causis matrimoniorum ab æquitate & sacris literis multum discrepare, sique ullis aliis in causis, certe in his summum jus summam esse injuriam.

COROLLARIA DE JURE DIVORTIORUM.

I.

Magna est impietas atque amentia illorum, qui eis, quæ de origine ac natura matrimonii causisque prohibiti divortii in sacro codice & scriptis Patrum leguntur, ad scurriles jocos ac risum excitandum abutuntur.

II.

Rectissime B. DN. DE COCCEJI Vol. 2. *Disput. 27. de matrimonio monetariorum sect. 1. §. 3. ait: Cum in constitutionibus Justinianeis nuptia individuum vitam consuetudinem continere dicuntur, id non ita esse intelligendum, quod nuptiæ tempore Justiniani divini non potuerint, hoc enim falsissimum esse, sed quod, dum nuptiæ sunt, consuetudo vitam divini non debeat.* Nam ex eo, quod qualitas ex statu aliquo oriens perpetua sit, minime sequitur, ut ipse etiam status ille perpetuus sit habendus, velut cum dicimus: *virginem nunquam parere, militi in statione, in qua positus est, assidue manendum esse, hominem, qui in carcere conjectus est, perpetuo squalore & cruciatu ang.*

III.

Si mulier, postquam nupsit, ad res Venereas inhabilis facta sit, divortium, nisi aliæ causæ graviore id postulent, non est decernendum, sed permittendum est viro, ut, retenta illa, aliam ducat. Ita Gregorius III. Papa rescriptit sancto Bonifacio, C. 18. *causa 32. qu. 7.* Ita etiam Lutherus, *Bullin.*

lingerus, aliique gravissimi Theologi & Jcti senserunt,
BRUCKNER. *Decis. matrim. c. 23. §. 25. sq.*

IV.

Non est vituperanda verecunda hæsitatio sancti AUGUSTINI de bono conjugali c. 7. quæ etiam jure canonico, C. 27. causa 32. qu. 7. est approbata: *Tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut, cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Possent enim homo dimittere sterilem uxorem, & aliam ducere, de qua filios habeat: & tamen non licet. Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commissione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat. Utrum & nunc fas sit, temere non dixerim.*

V.

Neque vituperandum est, quod in Consilio Theologico Lutheri, Melanchthonis, aliorumque sex Theologorum scriptum legitur: *Si quis apud exterarum nationum captivus ad curam corporis & sanitatem inibi alteram uxorem superinduceret, hanc, nescimus, qua ratione damnare liceat.* BRUCKNER. *Decis. matrim. post cap. 14.* Exemplo esse potest Comes Glichenensis, qui seculo duodecimo, ut captivitate Saracenicâ liberaretur, mulierem Ægyptiam duxisse & reversus inter eam & uxorem priorem, permittente Papa, spatiose in thalamo medius interjacuisse fertur. BRUCKNER. *d. c. 14. §. 66.* BAELIUS. *Diction. artic. Gleichen.*

VI.

Vir, qui falso nuntio de morte uxoris accepto, aliam duxit, debet illam quidem reversam in torum recipere, sed hanc non expellere. BRUCKNER. *c. 27. §. 8.*

VII.

Turca vel Sinensis, habens duas pluresve uxores, si ad religionem Christianam conversus, retenta una, reliquas e matrimonio exturbet, facit, ut hæc adulteræ fiant, & ipse sit adulter. Qui aliud præcipiunt, illi, ut legibus humanis obtemperant, perrumpunt Divinas, & scandalum grave dant illis gentibus & propagationem religionis Christianæ maximo opere impediunt. BRUCKNER. *c. 14. §. 63. sq.*

* * *

Frankfurt a.d.O., Diss., 1738-40

ULB Halle

002 267 25X

3



f

Sb.





1738, 8

11.4

DISSERTATIO PERIODICA
AD
LEGEM EVANGELICAM
DE DIVORTIIS,

A
JOH. WOLFGANGO TRIER,
CONSIL. REG. AVL. ET CODICIS P.P.

ET
JOHANNE PETRO WANNEY,
POTSDAMENSI MARCHICO,

D. XXVII. SEPT. MDCCXXXVIII.
PUBLICAE DISQUISITIONI EXPONENDA:

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

